

tie salutem in domino. Ut ea que fiunt in tempore non evanescant nec pereant tempore defluente solent scripturarum & testium memorie commendari. Quare notum esse volumus universis presentibus & futuris nos eam consulis & burgensibus civitatis Lubecensis universis libertatis gratiam contulisse, quod quociescunque perpetuis temporibus eos circa fines nostros in temporalibus nobis subjectos naufragium pati contingeret, omnia bona naufraga, que per se vel alios servare poterint pleno iure sibi vindicent. Precise namque volumus quod omnia bona talia post naufragium illis attineant, quibus ante naufragium pertinebant. Que quidem bona vel eorum precium, si peritura fuerint, si presentes non extiterint, quibus ea pertinent, per annum & diem, eis integraliter servabuntur & amplius, si venire nequiverint legitima necessitate vel ignorantia prepediti. Et si bonorum eorundem aliqui veri possessores obierint in naufragio, seu alio modo quocunque, quodcunque de bonis huiusmodi salvatum fuerit, debet veris heredibus reservari, secundum exigentiam temporis prenotati. Si preterea in aliquo forsau naufragio submersi fuerint omnes in nave constituti, ita quod nemo superuixerit, heredibus & veris dominis eorundem bonorum illa reservari debent, qui iustis documentis ea probaverunt esse sua in omnibus premissis, salvo eis iusto laboris premio, qui ad talia bona salvanda manum prebuerint adjutricem. Ut autem hec a nobis & a nostris successoribus immutari non valeant nec infringi presens scriptum sigillo nostro duximus munendum. Datum Lubeke anno dni M^o CC^o nonagesimo nono in conversione S. Pauli.

1267.

1299 d 26 Jan.

Fånö.

FOLKE JONSSONS Morgongåfvobref på Hardstad och Qvistlingatorp för sin hustru Rangborg.

J. 6. 186. v.

Omnibus præsentibus literas inspecturis, FULCO IOONSSON salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod ego Fulco Ioonsson, Dilecte uxori meæ Rangburgi ob Donationem propter nuptias in nostrarum Crastino nuptiarum curiam meam Hardhstadhj in lincopensi Diocesi sitam, et vnum attungum terræ in quistlingatorp, cum omnibus bonis, mobilibus, et immobilibus, pascuis, possessionibus, et iuribus dictis curie, et attungo qualitercunque attinentibus, sicut nunc possideo, Do, confero, et assigno, pleno iure iuxta leges Patriæ, et consuetudinem approbatam, hac tamen conditione adiecta seu forma, videlicet quod si favente Domino prolem habue-

rimus, dicta bona, cedant proli in portionem hæreditatis Maternæ, Si autem ipsa michi absque prole supervixerit, prædicta bona ad ipsam, et eius hæredes libere devoluantur, si vero ipsa ante me absque prole superstite obierit, quod absit, ius mihi sit liberum atque saluum omnia bona redimendi prædicta, infra biennium a tempore obitus sui computandum, pro ducentis marchis Denariorum, monete vsualis, tunc currentis, volo etiam quod dicta bona tempore defunctionis eius conscribantur, et sub dispositione mea sine Diminutione maneant per biennium memoratum. In cuius autem meæ Donationis robur et firmitatem, et Evidentiam firmiorem, secundum leges Patriæ, adhibiti sunt testes seu firmarij qui vulgariter dicuntur fastar scilicet Venerabilis Pater, Dominus Nicolaus Dei gratia Archiepiscopus vpsalensis, et honorabiles viri Domini, Andreas Præpositus eiusdem Ecclesiæ, Ion Ingiualdsson, Birgerus Pethersson, legiferi. Magnus Gregorisson, Röricus Birgersson, Philippus de Rumby, Philippus Ingiualdsson, Magnus Marinusson, Carolus Ingiborgusson, Carolus Gregorisson, Mathias Kätilmundasson, Ericus Östensson, Bothulphus Ionsson, Ragnwaldus Ingiualdsson, Laurentius Anbornasson, nec non et alij multi discreti viri, In horum igitur omnium Testimonium et Evidenciam plenioram, vna cum sigillo venerabilis Patris Domini Nicholaj Divina miseratione Archiepiscopi Vpsalensis, et aliorum infra scriptorum, videlicet Dominorum, Andree Præpositi Ecclesie Vpsalensis, Ioonss Ingivaldssonss, Birgeri Petherssons, legiferorum, Magni Gregorisson Philippi de Rumby, Magni Marinussons, Rörici Birgerssons, Philippi Ingivaldssonss, sigillis sigillum meum duxi præsentibus apponendum. Datum Anno Domini Millesimo Ducentesimo Nonagesimo nono, Apud Fanö, in Crastino Conversionis beati Pauli.*)

Af de tecknade sigillen synes N:o 1 hafva varit mindre tydligt, N:o 2 och 3 fullständiga, N:o 4 utplånadt.

1268.

1299 d. 10 Febr.

Helstad.

Biskopen i Skara BRYNOLFS Bref om den ersättning, han i Slädene och Araberg samt Ofruds och Tängeneds qvarnar, gifvit Ragnwald Mule för de gods i Näs, hvilka Biskopens broder honom afhändt, med uppdrag åt Andreas Tuwesson, att dem, å Biskopens vägnar, lagligen sköta och hemula, med anhållan derjemte, att Kongl. Majjt och Riksens Råd derpå ville fastebref utfärda.

A. G. a. 2. 46.

Omnibus presentes litteras jnspecturis B. dei gracia scarensis Episcopus, Salutem jn domino sempiternam. Notum facimus vniuersis, Quod nos

*) Anm. I margen är, vid brevets början, antecknad med blyertspenna dessa nästan utplånade ord: "Detta original hade jag af Hr Carl Sparre 1696. 27. Nov.;" och vid slutet står